



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi**

**Spina, Claudius de**

**Parisiis, 1551**

44. de qualitate potentiae Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38840**

*R. 78.6.*

**Cap. 7** Enchir. idem in lib. de Nat. & Grat. Dominus Lazarum suscitauit in corpore: nunquid dicendum est, Nō potuit Iudam suscitare in mente? Potuit quidem, sed noluit. Etiam ratione probari potest. Non enim vult Deus omnes homines iustificare: & tamē quis dūbitat eum posse? &c.

### DE QVALITATE Potentiae Dei.

DISTINCT. 44. CAP. Primum.

*Potest Deus res meliores facere  
quam fecerit.*

**S**olent præfati dicere, quod ea quæ facit Deus, non potest meliora facere. Quia si posset facere & non faceret, inuidus esset, & nō summè bonus. & hoc ex simili ad-  
quæst. struere conatur. Ait enim Aug. lib. 83. quæst.  
50. Deus quæ genuit, quoniā meliorē se genera-  
re nō potuit (nihil enim Deo melius) debuit  
æqualē. Si enim voluit & nō potuit, infirmus  
est: Si autē potuit & noluit, inuidus, &c. Sed  
non valet huius similitudinis inductio: quia  
Filiū genuit de substantia sua. Ideo si pos-  
set generare sibi æqualem, & non gigueret,  
inuidus esset. Alia verò quæ non de substan-  
tia sua facit, meliora facere potest. Ideo  
probatur q̄ meliorē reni possit facere quam  
fecerit. Nam si nō posset, hoc ideo esset, quia  
creatura est summè bona. quod falsum est,

L ij

quia tūc creatori equalis effet. vel quia mai<sup>or</sup>  
 bonum quod ei deest, capere ipsa non va-  
 leat. Et hoc adhuc non obstat, quia capaci-  
 tatem quæ deest, potest dare Deus. Potest  
 ergo Deus meliorem rem facere quām fa-  
 cit. Vnde Aug. sup. Gen. Talem potuit Deus  
*Homo po-* hominem fecisse, qui nec peccare posset, nec  
*tuit melior* valeret. Et si talem fecisset, quis dubitat eum  
*producere*? meliorem fecisse?

C A P. 2. *Deus non potest facere melius,*  
*id est meliori modo operandi.*

*Possibilis*  
*fuit aliis*  
*modus re-*  
*demptionis*

**S**i enim modus ad sapiētiam opificis re-  
 feratur, nec aliis, nec melior modus esse  
 potest. Non enim potest facere aliquid  
 aliter, vel melius, quām facit, id est, alia sa-  
 pientia vel maiori sapientia. Nihil enim sa-  
 pientius potest facere quām facit. Si vero  
 referatur modus ad rem ipsam quam facit  
 Deus: dicimus quia aliis & melior modus  
 esse potest. Vnde. Augu. lib. 13. de Trinit. di-  
 cit quōd fuit aliis modus nostræ liberatio-  
 nis possibilis Deo, quia omnia potest: sed  
 nullus aliis nostræ miseriæ sanandæ fuit  
 conuenientior.

C A P. Tertium. *Deus omne quod*  
*potuit, nunc potest.*

**P**raeterea quæri solet vtrum semp possit  
 De<sup>o</sup> òne quod potuit. Quod quibusdā  
 non videtur, quia potuit incarnari, mo-

ri, & resurgere: quæ nunc non potest. Sed dicendum, quod sicut omnia semper scit quæ aliquando sciuit, & semper vult quæ aliquando voluit, nec unquam aliquam scientiam amittit: ita omnia semper potest quæ aliquando potuit, nec aliqua potentia sua unquam priuat. Vnde licet non possit modo incarnari, mori: non tamen priuatus est potentia incarnandi, &c. Sicut enim olim potuit incarnari: ita & modo potest incarnat⁹ esse. In quo eiusdem rei potētia monstratur. Sicutnō est alia scientia, qua sciuit se resurrecturum, & qua nunc scit se resurrexisse: sed eadem est, licet diuerso modo significata: Ita eadem potentia Dei, qua potuit & potest, &c.

~~DE VOLVNTATE DEI,~~  
& eius acceptione.

DISTINCT. Quadragesimæ quintæ  
CAP. Primum.

*Deus non dicitur Omnia quæ vult.*

**L**icet sit idem Deo velle quod esse: non tamen dicendum est Deum esse omnia quæ vult, quod quidam sic obiciebant, dicentes: Si idem est Deo velle quod esse: ergo cum dicimus Deum velle omnia quæ facit, dicimus eum esse omnia quæ facit, quia velle & esse sunt idem, &c. Ad quod dicimus, quia licet idem penitus Deo velle quod esse, non tamen potest dici omnia quæ vult.

L. iij